

me ad hoc beneficium, illam admittendam esse, per se fluit, utique cum O. P. S. R. ad *Tit. 52. §. 3.* illis solum hoc privilegium concedat, qui tam aduersae fortunae casibus quam sua non culpa bonis lapsi sunt, quod neutrum hic applicari poterit. Non tamen negandum, si e. g. sine redditibus, quae ex curiis redire possunt, nec salus ciuitatis nec iustitiae cursus asseruari queat, ciuitatibus aere alieno laborantibus semper aliquid relinquendum, ex quo, si aliunde non habeant, sumtus maxime necessarios desumant.

§. XXI.

Quo rubro nostro ex toto responderemus opus esset, ut etiam de aliis vniuersitatis dispiceremus bonis, et videremus, quid iuris obtineat, si executio in illa fieri, aut eorum venditio sub hasta demum subsequi debeat; Sed cum supra iam deduximus, Vniuersitatem nullis praecipuis frui iuribus, in debito aut mutuo, et privilegia, quibus in bonis suis gaudet, realia esse, totam rem absolueri posse videmur, si dicamus, quod eodem procedendum sit modo in singulis ciuitatum bonis, qui adhiberi solet in debitorum aliorum bonis. Hinc executio et subhastatio recte instituitur, quomodo in *O. P. S. R. a)* ordinatum legimus, et ratione solennitatum in praxi receptum est, licet obstare videatur, quod vniuersitati e. g. in domibus ad braxandum, et aliis varii generis usum destinatis, ius coactionis *der Zwang* competat. Hoc enim privilegium subhastationem impedire non poterit, sed principis accedente consensu aeque ac alia iura realia rebus inhaerentia permanere, et ad quemcunque possessorem transire poterunt.

§. XXII.

a) ad tit. 50.